

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè  
fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentiis Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

§. 1. Quòd sanctissima Virgo tribuat incrementum gloriæ Personæ Patris  
æterni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

Verumtamen post literalem explicationem hujus effati, quām veram esse credo, & maximē Catholicae, concessum utique mihi fuerit hic loquenti de excellentijs Sanctissimae Virginis, timati & perscrutari illas juxta hunc tam inusitatum loquendi modum, vobisque desuper specialem quandam proponere considerationem; ex quā

perspicietis, ratione quādam verum esse, quod ipsa prædestinata sit à Deo, ut tribuat omnibus tribus Personis adorandæ Trinitatis certum quoddam complementum, & incrementum perfectionis, quod nunquam habuissent absque illa, quodque saltem cedit ad gloriam eternam Dei.

## §. I.

*Quod Sanctissima Virgo tribuat incrementum gloriae personæ Patris aeterni.*

Job. 33. v.  
14. Ncipiamus à Patre. Dubitari non potest, quin possideat ipse omnem infinitam perfectionem divinæ paternitatis, communicando totum suum esse Filio suo Unigenito. Hinc nonnisi unicā tantum vice producere illum potest, eo quod exhaustat omnem suam virtutem in Generatione hāc verbi sui, quām nunquam incepit, quām interrumperet nunquam potest, quamquæ finiet & absolvet nunquam. Sic Sanctus Iob sapientissimus hic Theologus sublimi quadam ratione affirmat: *Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.* Quid igitur deesse illi potest pro ultimo Complemento perfectionis Patris? Nihil planè.

Nihilominus juxta nostrum concipiendi & intelligendi modum, dominus hic Pater producens Unigenitum suum ex totâ plenitudine di-

vinæ essentiaæ suæ, ut plerūmque dicunt Theologi, velut loquar cum Sancto Hieronymo, *ex medullis divinitatis*, non producit ipsum è sinu suo, nisi per viam intellectus sui: siquidem voluntas ipsius non influit in magnum hoc opus, id est, ipsa non impedit hīc virtutem suam, eò quod voluntati non congruat cognoscere, sed amare: nec libertas ipsius hic aliquam partem habet, eo quod non producat ipsam per liberam determinationem voluntatis suæ, sed per fecunditatem suæ essentiaæ, quæ necessaria est. Nonnè tibi videtur, id fore complementum quoddam ipsius gloriae si produceret ipsum etiam per voluntatem suam, & per suæ decreta voluntatis?

Ulterius Pater producens Deum sibi æqualem & perfectam sui imaginem, habet quidem Filium ad se spectan-

Quid se  
ctissim  
Virgo al  
jungat  
ix Del  
tris aten

spectantem; verum hic est Filius, qui nihil ipsi debet, qui exhibere ipsi non potest nec obedientiam, nec reverentiam, nec aliquod servitium, eo quod non sit ipsius subditus, nec ipso inferior, sed ipsi in omnibus aequalis. Nonne tibi videtur juxta debilem nostrum concipiendi modum, quod foret nota-  
ble complementum honoris & glorie Patri, si idem hic Filius manus semper in possessione infinite Majestatis suæ, ipsi esset subje-  
ctus, ipsi obediret, ipsique præsta-  
ret homagia obsequiosissima? quām majorem gloriam recipere posset, quām si videret à Deo aequè magno se adorari?

Jam hoc est admirabile comple-  
mentum, quod recipit à Sanctissi-  
ma Virgine. tunc cum ipsa præde-  
stinata est ad complendum Mysteri-  
um ineffabile Incarnationis Ver-  
bi: siquidem Pater, qui non po-

tuit producere illum in se ipso, nisi per intellectum suum, & per ne-  
cessitatem quamdam naturalem, re-  
producit ipsum denuò in illâ per  
voluntatem suam, & per Decretum  
libertatis suæ. Pater, qui videt  
ipsum nasci in sinu suo sibi aequa-  
lem, ita, ut nullam recipere posset  
ab ipso submissionem, videt ipsum  
nasci è sinu Sanctissimæ Virginis le-  
inferiorem, sibique subiectum,  
ad eoque dispositum ad præstandum  
sibi tam perfectam obedientiam,  
tam eximia servitia, tam profunda  
homagia, ut datus sit propriam  
vitam suam in cruce, ad exhiben-  
dum sibi per sacrificium honorem  
infinitum sibi debitum. Quis dif-  
fitebitur, sanctissimam igitur Virgi-  
nem benè considerari posse respe-  
ctu Patris, velut complementum  
perfectum Trinitatis? Totius Trini-  
tatis Complementum.

## §. II.

*Sanctissima Virgo tribuit incrementum perfectio-  
nis Persona Filij Dei.*

**E**T respectu Personæ Filij idem dicendum est. Dubitati non potest, quin nascatur ipse in æternitate è sinu Patri dives omni infinitudine perfectionum infinitarum Dei, eo quod sit Deus natus de Deo, lumen de lumine, DEUS verus de Deo vero, ut loquitur nostrum fidei symbolum: Ipse est Verbum æternum, quod solum &

unicum magnum format discursum, absque syllabis, absque voce sensibili, absque successione, quod per se & explicat in instanti æterno omnes cognitiones infinitas principij sui. Cum igitur verum sit, quod ipse sit proprius Filius Dei aequalis Patri suo, quid desiderari posset pro majori complemento divinitate hujus personæ? Nihil profecto.

D 2

Nihil,